

rum, ut *Mattheus & Marcus* dicunt. *Sanguis Christi* ergo, etiam juxta *Lucam & Paulum*, bibitur de poculo hoc, qui proinde, dum poculum hoc dicunt *novum illud testamentum in sanguine Christi*, implicitè & quoad rem etiam fatentur, hoc quod de poculo illo bibitur, esse *sanguinem Christi*, qui est *sanguis ille novi testamenti*. Quò faciunt etiam verba, à *Luca* subjecta τὸ ὑπέρ ὑμῶν ἐκ χυτοῦ μου, pro nobis effusum: quæ si, ut constructio Grammatica requirit, ad poculum referantur, dicitur poculum hoc effusum pro nobis, sensu eodem, quo *Novum testamentum* dicitur, nempe quòd sanguinem Christi, qui est sanguis novi testamenti, pro nobis effusum, contineat, ut verba prædicta: τὸ ὑπέρ ὑμῶν χυτό μου, ad sanguinem Christi tandem deveniant, cui pro nobis effusum esse, propriè & formaliter convenit.

X. (3) Præterea doctrinæ hujus meminit *Paulus* etiam *I. Cor. X. 16.* ut & in citati *capitis XI.* v. 27. 28. sed neutro in loco significationis impropriæ, in verbis institutionis admittendæ, causam ullam subinnuit. Et *cap. XI.* quidem v. 27. ex repetitâ institutione per consequentiam infert, quòd quisquis ederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè, reus teneatur corporis & sanguinis Christi. Nam *vocula* ἀπεhic illativa est, & respectum importat ad præcer dentem institutionem Cœnæ, quā pro inde rationem concludendi contineri oportet. Ea verò non alia, quam hæc inde elici potest, quòd quisquis edit panem hunc, & bibit poculum Domini, edat corpus Christi, bibatque ejus sanguinem, vi verborum: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum* hoc poculum est *Novum testamentum in sanguine meo*, sive, ut *Mattheus & Marcus* habent: *Hoc est sanguis meus novi testamenti*. Reus ergo tenetur corporis & sanguinis Christi, quia indignè edendo panem hunc, & bibendo poculum Domini indignè, etiam *corpus Christi* indignè edit, ejus-